

rimum rudibus, & parum literis, & religionis myste-  
riis, assuetis, credendum non est. Non ergo Gentiles  
fuerunt, qui verba illa protulerunt, sed Judæi; qui,  
vel utpote puri hebraici sermonis ignari, illo æquivoca-  
tionis vitio laborarunt; vel fortassis, ut alii etiam  
asserunt, verba illa sano modo intelligentes, detorse-  
runt tamen sensum, ut Christo illuderent, & illius ver-  
ba deriderent.

Quum enim apud illos pervulgatum jam esset,  
Eliam in fine mundi adventurum in mundum, ut fidem  
hominibus prædicet, qua omnes gentes salvæ fiant;  
hoc quidem Christo, deridendo, & conviciando, ob-  
jectabant. Scilicet, quasi dicerent Redemptori, jam  
in cruce pendenti, & in proximo morituro, tempus  
advenisse, quo salvus fieret ab Elia, quem vocatum ab  
illo, fingeant. Ac proinde hæc omnia, ut ironice lo-  
quebantur, ita & contumeliose intorquebant.

Natalis Alexander, qui fuit nuperi Scriptoris  
Galli, contra quem scribimus, doctus sane, & criticus,  
præceptor; hæc ad rem nostram, in expositione Euan-  
gelii S. Matthæi c. 27. in sensu literali, num. 24. scri-  
bebat: *Quidam autem illic stantes, & audientes, dice-  
bant: Eliam vocat iste. Id dictum a Romanis militibus,  
sermonis hebraici ignaris, qui Eliam pro Eli intellexe-  
runt, quidam conjiciunt. Verisimilius est, id dictum a  
Judæis Helemstis, qui cum hebraica verba non intelli-  
gerent, Eliæ nomen sibi notum audire sibi visi sunt: Romani  
enim milites nihil de Elia noverant. Forte & Judæi  
Hierosolymitani verba Christi ex industria perverterunt,  
ut ipsi illuderent.*

Tres ergo rationes opponimus iis, qui scribunt,  
verba illa, *Eliam vocat iste*, a Gentilibus, non a Ju-  
dæis, fuisse dicta; quibus contrarium omnino suadere